4.

# DE GANGRÆNA

N.°81.

# SPECIMEN

## INAUGURALE,

*Quod in aulâ publicâ celeberrimæ Facultatis Medicæ Parisinæ, pro Medicinæ Doctoratûs gradu adipiscendo, die 29 Junii 1813, propugnare conabitur*

ANDREAS PONDROM, ex Heisdorff.

(È Præfecturâ silvarum.)

p' 15

PARISIIS,

EX TYPIS DIDOT JUNIORIS,

Typographi Facultatis medicæ parisinæ.

1813.

# FACULTAS MEDICA PARISINA.

*Professores.*

D. LEROUX, Decanus.
D. BOURDIER, *Examinator.*
D. BOYER, *Examinator.*
D. CHAUSSIER, *Examinator.*
D. CORVISART.
D. DEYEUX, *Examinator.*
D. DUBOIS.
D. HALLÉ.
D. LALLEMENT.
D. LEROY.
D. PELLETAN, *Præses.*
D. PERCY.
D. PINEL.
D. RICHARD.
D. SUE.
D. THILLAYE.
D. PETIT-RADEL.
D. DES GENETTES.
D. DUMÉRIL.
D. DEJUSSIEU.
D. RICHERAND.
D. VAUQUELIN.
D. DESORMEAUX.
D. DUPUYTREN, *Examinator.*

Decimo nono frimarii mensis die, anno 7, Scholæ medicæ Professores, opiniones in dissertationibus exhibitis emissas auctoribus proprias habendas esse, et illas à se nec approbari nec improbari statuerunt.

# DE GANGRÆNA

# SPECIMEN

## INAUGURALE.

## INTRODUCTIO.

Mors partem invadens, dicitur *gangræna*. Tota ergo pars sic affecta nullum ampliùs vitale commercium cum reliquo corpore habet; vitalibus spoliata proprietatibus, chimicis affinitatibus subjecta est; eòque citiùs decomponitur et putrescit, quò elementa ejus volatiliora, quò magis sunt dissimilia.

Absoluta partis læsæ insensibilitas, coloris ejusdem in lividum, plumbeum vel nigrum mutatio, temperaturæ diminutio, vesicarum sero subsanguineo, aut atro repletarum apparitio, odor tandem peculiaris, gangrænam adesse indicant.

Gangræna quibusdam auctoribus idem fuit ac putredo. Magnam tamen inter illas existere differentiam facilè videbit, qui consideraverit; partem aliquam gangrenâ esse affectam, quamprimùm vitâ est orbata, sed tùm saltem putridam, cùm à motu interno destructa, in principia sua decomposita et in nova mutata fuerit composita. Duo hæ affectiones sæpè simul existunt, numquàm verò putrefactio locum habet, quin gangræna illam præcesserit.

Aliæ è contrario distinxêre mortem telæ cellulosæ ab illâ, quæ cuncta ad ossa usque inficit, et illam *gangrænam*, hanc verò *sphacelum* nominaverunt. Vitiosam esse hanc divisionem ex eo elucet, quòd mors semel existens ubiquè sit eadem, nec determinari possit quousque penetraverit.

Gangrenæ divisio in humidam et siccam, prout pars mortua plus

minùsve fluidis est saturata, non magis fundata quidem est, sed utilior. In praxi illius habenda est ratio; lentior enim siccæ observatur progressus quàm humidæ, ac diutiùs, donec vel in hanc convertatur, vel in mumiæ speciem corrugetur, aut à corpore pars sponte secedat, sine febre incedit.

Cùm primùm in gangrænâ curationis momentum in eo positum sit, ut causas illius avertamus, has sedulò inquirere medico, benè describere auctori maximè, cordi esse debet. Tot verò sunt causæ quæ gangrænam inducere possunt, ut qui tentaret de singulis fusè ac promiscuè tractare, facilè in errores deduci posset, et limites thesi inaugurali positas transgredi deberet. Hinc elaboro illas reducere ad paucas series, et in singulis breviter exponere species, quæ in agendi modo sibi similes observantur.

Ex gangrænæ causis, aliæ tantam naturæ actionem ad partem læsam alliciunt, ut vita ab illâ suffocetur; aliæ è contrariò illam ita debilitant, ut vitam in omnibus partibus diutiùs sustinere non possint; aliæ denique in principio deleterio sunt quærendæ. Hinc, ut methodicè agam de gangrenæ causis, tres instituam paragraphos: acturus in primo de gangrenæ causis stimulantibus; in secundo de debilitantibus; in tertio tandem de illis quæ malignitate quâdam stipatæ gangrænam producunt.

## §. I.us

### *De Gangrenæ causis stimulantibus.*

Si gangræna per intensitatem inflammationis producatur, hæc vehementer crescit, donec ad ultimum gradum pervenerit, tùmque subitò disparet, ita ut pars læsa in absolutam concidat inactionem. Apparent primò calor urens et valdè ingratus, color lividus vel purpureus, tumor tensus et siccus, dolor denique atrocissimus. Hæc tùm repentè disparent, detumescit pars læsa, et colorem cinereum vel nigrum assumit, nec calorem proprium ampliùs, nec sensationem aut irritabilitatem habet.

*Inflammatio* rarò tam intensa est, ut gangrænam inducat. Requiruntur ad hoc irritatio localis intensa, et nimia virium vitalium actio ad illam eliminandam. Hinc oriri potest, quandò juvenes vel viri integrâ sanitate gaudentes, vel quandò personæ quarum irritabilitas maxima est, ut incolæ regionum calidarum, gravi infliciantur vulnere, vel luxatione aut fracturâ, præcipuè verò dùm nervorum filamenta dilacerantur vel contunduntur. Organa quoque telâ delicatiore compacta minori cum successu contra naturæ reactionem militant. Hinc gangræna valdè timenda est, dùm intestina, vesica, pulmones inflammatione corripiuntur.

*Constrictio.* Partes aponevrosi circumdatæ vel in cute arctiùs inclusæ, ut manuum pedumque digiti, caput, extremitates superiores et inferiores, dùm inflammatione excitantur, tumescunt; velamenta resistunt, nervi comprimuntur, oritur dolor violentus, liquidorum effusio et gangræna. Hæc magis adhuc timenda est, dùm hernia constrictione patitur, vel fractura, aut vulnus arctiùs deligatur.

*Corpora extranea* irritant partem in quâ recondita sunt, alliciunt humores, vasa extenduntur, debilitantur, et tandem, subsistente irritatione et affluxu liquidorum, vita suffocatur, hoc eò citiùs perficitur, quò contusio major. Pressio etiam, quam corpora extranea in circumjacentes partes exercent, et obstaculum quod circulationi in illis opponunt, ad gangrænam producendam contribuunt. Hinc sæpè sequitur fracturas comminutivas, abcessus stercorarios et urinarios, omniaque alia corpora extranea, quæ vel irritant, vel comprimunt, vel circulationem impediunt, ut calculos, fragmenta vitri, ferri, vel glandes plumbeas, etc.

*Ustio.* Gangræna ab ustione pendens, licèt ab actione causticorum vel ab igne producatur, semper est effectus unionis oxygeni cum particulis eorum vi expositis, vel reactionis, quam introductio caloris excitat. Duplici hinc modo gangræna ab ustione produci

potest. Pars læsa vel immediatè destruitur, et in escharram reducitur, vel hoc perficitur à nimiâ virium vitalium reactione, uti ex sequenti exemplo patet.

(1) Honestissima matrona tempore hiemali quodam die propter domestica negotia defessa, ad focum sedens et syncope correpta, in terram et unâ quidem tibiâ in ipsas prunas cecidit, illamque, antequàm domestici accurrerent, graviter sibi inussit. At quia hæc matrona obesa valdè fuit, secutus est adfluxus humorum, dolor, inflammatio, non diù post gangræna.

*Contusio*. Gangræna hanc sequitur, si corporis contundentis actio tanta sit, ut corporis nostri partem dilaceret et in pulpæ speciem reducat, vel ut vitam in eâ saltem debilitet; tùm enim malè resistit humoribus affluentibus, qui quod reliquum est vitæ facilè suffocant. Numquàm verò hæc sæpiùs locum habet quàm in contusionibus sclopetis, vel torminibus bellicis illatis. Omnia in his concurrere videntur ad gangrænam producendam violentia contusionis, commotio, vel generalis, vel partialis, tandem corporis mala habitudo regimine militum plerumquè perverso contracta.

## §. II.

### *De Gangrenæ causis debilitantibus.*

Gangræna, quæ pendet ab interceptâ vel à diminutâ actione virium vitalium, solet primò apparere in partibus à circulationis centro maximè dissitis. Præcedunt illam lassitudo, debilitas, vel generalis, vel partialis, præcipuæ verò partis inficiendæ rigiditas, motûs abolitio, cutis palor et flacciditas, dolor quandoquè violentus internus. Apparet macula livida vel nigrà, latiùs sese extendit, et successivè totum membrum occupat.

---

(1) *Hildanus*, de Gangrænâ et Sphacelo, cap. 4, p. 773.

*Senectus.* A perpetuâ organorum actione vitæ instrumenta obtunduntur, et hæc tandem ita debilitatur, ut injuriis corpori illatis resistere non possit, atque à minimâ sæpè offensâ pars læsa vitâ fungitur. Imò hæc sæpè destituit extremitates, quin ulla causa externa data fuerit, et tùm maximæ debilitatis signum, miserum brevi tempore è vivis eripit. Huic proximè accedit debilitas nimio Veneris usu, vigiliis in altam noctem protractis, vel nimiis laboribus contracta, et inter causas gangrænæ numerari potest. Triste exemplum gangrenæ senilis legitur apud *Tulpium*, lib. III, cap. 46, his verbis relatum.

« Seni fatuo, neque heri atque hodie, sed diutissimè debili, fatescebant tandem usquè eò cum languidum cor, tum effœtus partium calor, ut à minimâ corporis offensâ sequeretur protinùs perniciosissima gangræna. Dispergens se per iners hocce corpus tam liberè ac latè, ut id intra paucos dies consumpserit universum. Non licebat illi vel natibus insidere, vel cubito incumbere, vel scapulum in parietem inclinare, quin protinùs extingueretur calor et à gangrænâ obsideretur, non minùs pars premens quàm pressa. Quæ labes tam perpetè pennâ corpus universum ubi pervolaret, vidimus brevi vix ullam partem intactam quin omnia jam emortua antequàm verè emoreretur miserrimum hocce lascivientis mortis ludibrium. »

*Vitium in circulatione.* Sanguis per arterias in totum corpus distributus à venis in centrum circulationis reducitur. Impeditus euntis æquè ac redientis progressus gangrænam inferre potest; sicca sequitur, dùm obstaculum in arteriis est, humida quandò venæ afficiuntur. Circulationem sanguinis intercipiunt, ligatura, compressio, ossificatio vasorum, cordis anevrisma vel polypus. Memorabile exemplum gangrænæ à compressione exortæ refert *Hildanus*.

(1) « Homo integræ sanitatis optimæque temperiei insolitum fri-

---

(1) *Hildanus*, de Gangrænâ et Sphacelo, cap. 4.

gus, gravitatem et stuporem in utroque crure sentire incipit sine ullâ causâ cognitâ prægressâ : auctis sensim his malis, gangræna sequitur, et post illam sphacelus ad genua ascendens, et mors. In cadavere invenitur tumor scirrhosus venam cavam descendentem comprimens circa illum locum, ubi in binas iliacas finditur. »

*Paralysis.* Quæ paralysim inducunt, compressio cerebri, ligatura magnorum nervorum spinæ dorsi, contusio medullæ spinalis ad gangrænam prædisponunt. Circulatio in membro paralytico languet, motus voluntarius et sensibilitas vel diminuti sunt, vel omninò aboliti. Hinc sæpè necessitas eisdem partibus diù incumbendi, interruptio circulationis à levi compressione; hinc etiam retentio urinæ et excrementorum, et profunda sæpè læsio, quin ægrotus periculum animadvertat, undè sæpè gangræna.

*Liquida.* In scorbuticis observatur, quòd vasorum cohæsio adeò minuatur, ut à levissimâ vi frangatur, crurum ulcera pessima, præcipuè verò gingivarum oriantur, ad optima quævis remedia sæpè rebellia, facillimèque in gangrænam fœtidissimam abitura.

Quibus post hemorraghias magnas vel alias evacuationes abundantes, post morbos chronicos corpus valdè debilitantes, quibus in phthisiâ extremitates anasarcâ corripiuntur, qui denique ascite diù laborant, gangrænæ sunt obnoxii.

(1) Observationibus constat omentum, intestina, hepar; lienem in ascite macerari atque penitùs contabescere. Omnium frequentissimè gangræna ab hâc causâ nascitur, quandò hydrops anasarca crura et femora occupat et serum evacuatur; tùm enim liquidum præterlabens irritat, distenta anteà tam enormiter tela cellulosa collabitur flaccida, et partìm ab acri sero alluente corrumpitur, partìm ob debilitatem vitalis influxus moritur.

---

(1) *Van-Swieten* Commentaria in *Boerhavii* aphorismos.

*Frigus*. Calor æquè necessarius corpori nostro, quàm ejus accumulatio est pernitiosa. Dùm nimiùm hujus principii quantitatem amittimus, incipit primò vita languere; tùm ingreditur somnum fallax, organorum functiones intercipiuntur, et pars vel totum corpus videtur asphyxiâ correptum. Hucusque vita nondùm omninò extincta est, et salutis adhuc subsistit spes; si verò nihil ampliùs virium vitalium remaneat, si liquida congelaverint, frustrà tùm omnia tentantur ad vitam revocandam.

## §. III.

### *De Gangrænæ causis malignis.*

Quæ gangrænam propter malignitatem inducunt sunt diversissimæ inter se et magni numeri. Symptomata quæ se offerunt non minùs diversa sunt : irregularitas illorum et intensitas de funestâ complicatione nos certiores faciunt. Apparent tantò debilitas et virium prostratio, tantò febris acuta, dolor violentissimus, convulsiones, spasmi, lipothymiæ, sudores frigidi, sopor et mors sæpè jam ab initio infectionis sævit.

*Pestis*. Ex illis quæ de terribili hoc morbo scripta sunt patet, quòd si mali hujus virulentia in partem quamdam corporis absederet, illa subitò destrueretur sic, ut mortua, suppuratione in ambitu nata, posteà separari debuerit. Hoc de bubonibus, carbunculis, parotidibus pestilentialibus sæpè observatur. Longè terribiliora adhuc sequebantur illam pestem Atheniensium, quam *Thucydides* describit (1). Morbus, qui primas in capite sedes collocârat, per totum corpus innitio in summis partibus ducto pervadebat; et si quis ex maximis illis periculis evasisset, manuum tunc pedumque summitatibus amissis, mutilus quandoquè pudendis, vel et oculis orbus, ipsâ morte calamitosiorem vitam trahebat : sic etiam in peste,

(1) Thucydides, de Bello peloponesiaco, lib. 2.

quæ Europam et Asiam sub Marco Aurelio devastavit, bubones aut carbunculi nunquàm, sed extremitatum gangrænæ comparebant.

*Pustula maligna.* Duplex hujus exanthematis varietas, altera quæ contagio ne producitur, altera verò quæ sponte generatur. *Bayle* eam vidit epidemicè grassantem in pluribus vicis præfecturæ Alpium inferiorum, quin ulla epizootia exstiterit. Longè verò frequentiùs per contagionem communicatur; et illi qui pertractant animalia febre malignâ vel anthrace affecta, aut qui reliquias illorum manipulantur, ut coriarii, laniones, villici, veterinarii, etc.; præ aliis illi sunt obnoxii; sæpissimè in partibus nudatis, in manibus et facie apparent. Symptomata quæ comitantur pustulam malignam aptè in quatuor periodos dividuntur. 1.° Sentitur in loco inficiendo pruritus molestus, apparet vesicula sero plena; 2.° tuberculum durum, cutis citrea vel livida, sensus ardoris erosionis, areola pallida, rubra, livida, flava; phlyctenæ primò discretæ, mox confluentes rufuloque sero plenæ; 3.° morbus telam cellulosam penetrat, tuberculi centrum gangrænâ corripitur; 4.° gangræna quiescit et ad suppurationem vergit; nunc verò morbus ultrà progreditur, universamque corporis substantiam vitiat; undè febris generalis, jactatio, animi deliquium, cardialgia, sudor colliquans, odor fœtidissimus, et tandem mors miserrima.

*Venena*, sive corpori exteriùs applicata, sive intùs sumpta, inter alia mala gangrænam etiam inducere possunt. Hæc lethalis est, quoties interna viscera inquinat. Venena intùs sumpta tamen non semper viscera interna primùm mortificant. *Blom*, medicus suecicus, vidit miserum qui ab assumpto hyosciamo nigro maculis gangrænosis ad cutem, præcipuè verò ad pedes, notatus fuit. *Frank*, idem dicit de illis qui ex arsenico et sublimato corrosivo moriuntur. Frequentiùs verò producunt læsiones locales, corrodunt intestina, vel illa ita irritant, ut à violentâ inflammatione mortificentur. Sed præter hæc observationes medici docent, venena per vulnera instrumentis

veneno imbutis, vel morsu venenatorum animalium inflicta in corpus introducta, gangrænam quandoquè brevissimo tempore producere. Dùm per Libyæ deserta exercitum duceret Cato, exiguus serpens, *seps* dictus, miserum militem parvo tantùm vulnere læserat in crure : symptomata quæ ex illo orta sunt sic exprimit Lucanus :

(1) . . . . . . Plagæ proxima circùm
Fugit rapta cutis, pallentiaque ossa retexit.
Jamque sinu laxo nudum est sine corpore vulnus;
Membra natant sanie; suræ fluxêre; sine ullo
Tegmine poples erat; femorum quoque musculus omnis
Linquitur, et nigrâ distillant inguina tabe.

*Secale cornutum.* Hinc à sæculo jam observatum est panem ex secale cornuto statim post messem pinsitum œconomiæ animali valdè perniтiosum esse. Pauperes, qui necessitate coacti illo vescuntur, erysipelatibus, extremitatum gangrænâ sæpè inficiuntur. Hanc præcedunt, prout *Langius* refert; lassitudo generalis, extremitatum stupor, sensibilitatis motûsque abolitio, cutis palor rugositas, dolor internus vehemens vel nullus, tùm color lividus aut niger et gangræna pessima.

*Adynamia et ataxia* locum dant gangrænæ, dùm excitatio vel obstaculum nimius est quàm ut à reactione vitali debilitatâ eliminari possit. His morbis laborantes coguntur supini jacere, et diù eisdem incumbere partibus. Circulatio languens à compressione facilè intercipitur, irritatur pars offensa, et in gangrænam concidit, quæ perdurantibus causis magis magisque sese extendit, donec mors miserum è medio tollat. In erysipelate, anginâ, febre biliosâ partem erysipelatosam, fauces, scrotum gangrænâ corripi sæpè observatur.

*Variolæ* inter gangrænæ causas numerantur; in pessimis enim confluentibus tota facies sæpè in bullam gangrænosam elevatur, et

---

(1) Pharsal. lib. 4, vers. 768.

hâc pelliculâ ruptâ ichor exit tenuis, sæpè foetidissimus, subjecta cutis et tela cellulosa à tabe hâc gangrænosâ miserrimè depascuntur. *Sydenhamus* observavit in femoribus talium ægrorum elevatas vesicas ovum gallinaceum æquantes, tenui ichore vel sanguinolentâ sanie plenas, quibus ruptis, subjecta caro nigerrima apparebat.

## *Cura.*

Expositis itaque breviter gangrænæ causis, indicanda jam veniunt remedia quæ illis opponi possunt. Quemadmodùm verò in superioribus gangrænæ causas in tres paragraphos divisas sum secutus, sic eumdem hîc ordinem observabo exponendo remedia gangrænæ opponenda.

### §. I.us

### *Cura Gangrænæ à causis stimulantibus.*

*Inflammatio* moderanda est venæ sectione pluries repetitâ, potu acidulo diluente, topicis emollientibus narcoticis; omnis spes in promptâ horum administratione posita est.

*Constrictio.* Administranda ab initio antiphlogistica, applicanda sunt stupefacientia, frigida, acida; in herniâ constrictâ taxis est tentanda. His frustrà expertis, sine morâ fræna sunt solvenda; deligationes arctiùs constrictæ sunt relaxandæ.

*Corpora extranea* sunt extrahenda; antiphlogistica administranda, si nimia inflammatio adhuc subsistat. Quæcumque cicatrisationem possunt impedire sunt avertenda.

*Contusio*, si stupore non sit complicata, requirit venæ sectionem et applicationem digestivorum intra primas viginti quatuor horas; deindè ubi inflammatio apparet, applicanda sunt emollientia; si verò vel generalis vel localis saltem adsit stupor, tonica et excitantia sunt administranda.

## §. II.

### *Cura Gangrenæ per debilitatem.*

*Senectus.* Administranda sunt omnia quæ vitam languentem erigere possunt. Si nullus adsit dolor, analeptica generosissima interiùs assumenda, parti læsæ fomentationes tonicæ applicandæ; si verò senex magnos dolores patiatur, emollientium et narcoticorum usus externus et opii dosis symptomatibus accommodata præferenda. *P. Frank* in simili casu maximo cum successu tria moschi grana cum duobus opii per dies multos porrexit.

*Vitium in circulatione.* Si illa quæ liberam sanguinis circulationem impediunt, auferri possunt, hoc illicò fiat necesse est Solvendæ deligationes, extirpandæ tumores; si verò hoc pendeat ab affectione organicâ vasorum, vel si tumores profundiùs sint quàm ut extirpari possint, vita languens tùm erigenda tonicis excitantibus, tam parti applicatis quàm ingestis.

*Paralysis* duplex hìc sese offert indicatio; prima ut ipsæ paralysiæ mederi curemus; secunda ut avertemus omnia quæ gangrænam determinare possint. Hinc fæces et urina sedulò sunt evacuanda, dùm intestinum rectum et vesica paralysata sunt. Curandum etiam ne membrum paralyticum violentiâ quâcumque offendatur, ne calori frigorive intensiori exponatur. Contra paralysin commendantur excitantia et tonica, ut valeriana, arnica, muscus, alcohol, electricitas, galvanismus; illa denique quæ cutem rubefaciunt, ut pulvis vel alcohol cantharidarum, frictiones siccæ et aromaticæ, urticatio, moxa, aqua thermalis hydro-sulfurica.

*Liquida.* Scorbutus, uti plurimi dicunt, alimentis boni succi, usu vegetabilium exercitioque tutissimè debellatur; in primâ et secundâ periodo vegetabilia acria, crucifera; in tertiâ fructus horrei aciduli summoperè prodesse observantur. Oris ulcuscula detersivis acidoque muriatico sufficienter mitigato sanantur. Crura,

dùm intument, unguenda sunt. Fungi et ulcera fœtida stimulantibus ad cicatricem perducantur. Hydropisiæ cura pro complicatione modificanda est. Hydragoga, sudifica, diuretica præcipuum habentur curatelæ fundamentum; sic etiam evacuantia tonicis et stimulantibus simul juncta. Punctio sæpè indicata, sed à scarificationibus abstinendum.

*Frigus.* Pars vel totum corpus frigori affectum gradatim ad calorem naturalem reducendum est. Vita in centro circulationis primò fovenda, frictiones ad præcordia instituendæ sensim extendendæ usque ad extremitates, administranda tùm veniunt cordialia; ægrotus in locum paulò calidiorem ferendus.

## §. III.

### *Cura Gangrænæ ex causis malignis.*

*Pestis.* Duplex indicatio in peste insurgit; prima ut quæ per salivam ventriculo, vel per aërem cuti admota fuerunt, citissimè emetico et sudificis è corpore eliminentur; secunda ut vires conconserventur administratione tonicorum et excitantium, cinchonæ, meraci, camphoræ, vesicantium si stupor et somnolentia urgeant. Bubones et parotides critici faustique habendi, præsertim si malum levent, et emollientibus tepidoque fotu ac cataplasmate anodyno maturandi. Anthraces eò infaustiores, quò numero plures et latiores scarificationibus cauterisationibusque impugnandi sunt. Contenta in abcessu materies, sæpè priusquàm fluctuatio appareat, evacuenda.

*Pustula maligna.* Pars labe inquinata scarificanda, mox adurenda. Scarificationes autem neque leviores neque profundiores sunto; partes vitâ defunctæ solæ dividendæ; ad vivas usque si penetratum fuerit, metus est ne malum propagetur. Caustica verò contagii virus coercent, sive id adurant, sive naturæ molimen ad partem affectam appellat, ut subactum hostem foràs expellat. Ad

hunc scopum faciunt acida mineralia, sulfuricum, muriaticum, solutio nitratis argenti, murias antimonii liquidus. Quibus ita præmissis, erigendæ vires, cienda suppuratio. Cùm ad quartum usque periodum invaluit morbus, pars profundiùs incidenda, eique imponenda tonica, camphorata, aquæ aromaticæ, alcoholicæ. Eadem intùs ingerenda remedia quæ in febribus atacto-adynamicis seu malignis, cardiaca, tonica, etc.

*Venena.* Adhibenda aqua tepida, mucilaginosa, lac aquâ mixtum, quoties venenum corrodit, promptè vel inflammationem excitat; si verò lentè agat, administrandum emeticum, acida. Veneni per vulnus introducti effectus perhibentur cauterisatione vulneris, administratione sudorificorum, tonicorum, emesi pro re natâ adhibitorum.

*Secale cornutum.* Administranda sunt tonica et excitantia, ut vinum generosum, cortex peruviana, camphora, vesicantia. Locus infectus fomentandus est, tonicis, spirituosis.

*Adynamia.* Cùm prostratis viribus æger diù supinus jacere cogitur, cortici peruviano, cardiacis et stimulantibus addenda sunt lotio coxarum cum frigidâ vel cum cerato saturni, frequens ægroti in aliam partem conversio, vel positio extra lectum. Erysipelas et angina gangrænosa quoque tonicis et stimulantibus curanda sunt.

*Variolæ.* Benignæ et simplices solis naturæ viribus sanantur : confluentes verò imprimis cum febre adynamicâ complicantur; quo in casu, ad tonica et stimulantia confugiendum, qualia sunt cortex peruvianus, vinum, vesicantia. Si puris acritas tanta sit, ut partes subjacentes corrodat, non exspectandum donec à naturâ evacuetur, sed arte est eliminandum.

# HIPPOCRATIS APHORISMI.

I.

Frigidum autem, convulsiones, tetanos, nigrores et rigores febribus. *Sect. VI, aph.* 19.

II.

Ulceribus frigidum quidem mordax; cutem obdurat, dolorem non suppurantem facit, nigrores, rigores febriles convulsiones et tetanos. *Ibid., aph.* 20.

III.

Quibuscumque cerebrum sphacelo laboraverit, in tribus diebus pereunt; si verò hos effugerint, sani fiunt. *Sect. VII, aph.* 50.

IV.

Hydropicis ulcera in corpore orta non facile sanantur. *Sect. VI, aph.* 8.

V.

Vulneri convulsio superveniens, lethale. *Sect. V, aph.* 2.